

Handwritten text, possibly a signature or date, located in the upper center of the page. The text is faint and difficult to decipher.

XXIII

Σὺν Θεῷ

DE NATURA
AFFECTIONUM
in Idéa,

PRÆSIDE
Clarissimo atq̄, Excellentissimo


VIRO

DN. M. JOHANNES SCHARFIO,
Logicæ & Metaphysicæ P. P. Fautore, Promō-
tore & Præceptore suo omni obser-
vantia honorando.

RESPONDENTE
GEORGIO SIEGFRIEDO Berlinensi
Marchico.

Publicè disputabitur

In Auditorio Majori ad d. 8. Novembr.



WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH,
ANNO cl̄o l̄o CXXVIII.

DE NITRA
A FRETIONUM

in libro

1542

Christophorus

N. 10

Dr. M. G. ...

1542

Christophorus

N. 10

Christophorus

1542

N. 10

Christophorus

N. 10

Christophorus

N. 10

Christophorus

N. 10

Christophorus


N. 10

Christophorus


N. 10

Christophorus

N. 10



Proœmium.

ertum est, Lector optime, Benevole, omne
Ens sua habere propria; sua Accidētia: quia omne
Ens reale ac ab æquivocatione liberatum prædi-
cationis aptitudinem habet, potestque modò sub-
jecti, modò prædicati loco stare, quæ prædicatio
est vel synonymica sive essentialis; vel Paronymica sive extra
essentialis, si de Ente prædicatur quicquā priori modo; necessū
est, ut prædicatum de subjecti essentia sit, atque eo modo rem
constituat: si posteriori; erit vel essentialis rei consecutivum,
& habebit se ad subjectum, ut proprium ejus: vel erit commune
rei illi cum aliis, & salutabitur accidens.

Loquor autem de Ente Universalis, non individuo aut par-
ticulari: quia omnia, quæ essentialiter prædicantur de rebus, u-
niversalis, vel ei, quod genium universalis habet, tribuuntur pri-
mò & per se, particulari verò vel supposito secundariò & pro-
pter primum. Sic Petrus est animal rationale, non quia Petrus,
sed quia homo est & Pauli proprium est ridere; non quia Pau-
lus est, sic enim solus rideret, sed quia homo est & continetur
sub homine tanquam individuum, & propterea de universalibus
attributis participat. Non autem ex his tollitur genus ge-
neralissimum; nam prædicatio essentialis non statim infert ge-
nus, sed solùm latius quiddam, sive re sive ratione & intellectu
latius sit: uti animadvertere licet in descriptione Entis, objecti
Metaphysici. Nec obstat his axioma: *Unius rei una est essentia:*
nam ab unitate essentiæ ad remotionem accidentium aut pro-
priorum non argumentamur.

Hæc autem accidentia non sunt cum ipsa re & essentiâ
confundenda, sed quàm primùm res à conditionibus indivi-
duantibus sunt liberatæ, & mediante Abstractionis beneficio

in statum Ideæ ex statu & forma singularis deductæ, in cognitione substantialia ab accidentalibus sunt præcidenda. Impossibile enim est idem simul esse & simul cum alio confusum esse, nec singula continentur unâ Ideâ, unde multi conceptus formandi sunt, quorum quidam substantialium, quidam accidentalium rationem sistant. Quod ipsum qui negabit, is absurda plurima non effugiet, & volucres nec non Angelos homines dicet: Illas quidem, quia bipedes; hos verò quia intellectivi & æternæ beatitudinis capaces sunt, quæ sunt hominis accidentia & propria.

Similis est ratio objectorum in scientiis & aliis disciplinis, quæ singula suas habent proprietates, suas Affectiones atque attributa, quæ ex subjecto fluunt, & à posteriori conveniunt ei per rationem propriam, non verò cōmunem. Objectum enim de formali est conceptus realis, non æquivocus principiis constans & affectionibus, nec non per modos limitari aptus, qui in nulla disciplina est principium, affectio vel species aut modus. *Vide Gutk. p. Spec. habitus intelligentiæ. c. 5. & p. gen. c. 1. theor. 8.*

Illæ verò Affectiones cum objectis non sunt confundendæ: (sunt n. non ipsa res, sed aliquid extra essentiam & attributa rei) sed in eadem disciplinâ distinctè consideranda atque evolvenda. Hinc singulæ disciplinæ suum objectum considerant in se, & post in suis proprietatibus, & sunt nihil aliud, quàm objectorum coram mente repræsentationes. Verum quia intellectus noster omnia scire desiderat & quidem habitualiter, appetitus hinc non confusè sedandus est, sed ordine; ideò non solum hoc objectum, sed ipsius objecti idea & natura consideranda est, quâ cognitâ intellectus è statu indeterminati in statum determinati seu universalem deducitur. Quâ in re operâ laudabilem non meo arbitrato, sed virorum in Philosophia excellentissimorum iudicio præstitit Philosophus subtilis atq; accuratus Dn. M. Gutk. in habit. Intell. part. spec. cap. 5. dum objecti naturam ab integro revocavit, subtiliter indagavit, omnibusque solidæ veritatis studiosis ponderandam, atque ad veritatis trutinam examinandam proposuit. Quia verò intel-
lectus

lectus eodem ἀγνοίας morbo laborat circa affectionum essen-
tiam & naturam cognoscendam, nobis hac disputatione eun-
dem curare, inventisque addere, eadem ratione, cur nō liceat?
Requirat sanè id ipsum desiderium intellectus, cui non satisfacit
per particularium, sed ipsorum principiorum cognitionem, quod
quando nim. per eam satisfactum est desiderio mentis, quo
scire desideravit formalem rationem Affectionū, quæ omnium
postea particularium disciplinarum Affectionum principium
statuitur. Requirat materiæ diversitas & exinde enata difficul-
tas, quod alia est specialis natura scientificarum, alia itidem
analogicarum Affectionum.

Requirunt Autorum variæ dissensiones & opiniones, quo-
rum alii ex scientificis affectionibus communem earum natu-
ram mensurant, & propterea quia in Physicis sunt demonstra-
tiones, easdem & in primâ Philosophiâ requirunt. Alii à præ-
dicamentalibus ad transcendentalia argumentantur, & quia
affectiones determinatarum scientiarum sunt accidentia, et-
iam transcendentes eo nomine inscribunt. Alii denique, quia
non esse eandem affectionum Metaphysicarum naturam vidēt,
quæ est prædicamentalium, affectiones primæ sopherie objecto
denegant. Requirat denique utilitas varia & multiplex, quam
præsens doctrina in omnes facultates imprimis Theologiam
& universam Philosophiam transfundit, ut nullo modo possit
aut debeat inutilis subtilitas & subtilis inutilitas salutari. Quas
utilitates si summatim exponere, ne dicam deducere labora-
rem, & temporis & pagellarum copia mihi deficerent. Illæ ipsæ
procul dubio ex singulis præceptis elucebunt, ut à quovis veri-
tatis amatore possint colligi. Itaque prælibatis his in nomine
Domini rem ipsam aggredior & pono.

THEOREMA I.

*Æquivoca primum omnium sunt distinguenda: quia non repræ-
sentant menti unum conceptum.*

Hoc ipsum & in præsentis tractatione observantes, ab o-
mni ἀμφιβολία atque ambiguitate vocem affectionis libe-
rabimus,

rabimus, ne mens nostra in ipsa tractatione ad hunc vel illum conceptum distrahatur, omnisque controversiæ status quàm exquisitissimè poni possit.

Notandum igitur quoad nomen, vocabulum *AFFECTIO-*
NIS sumi i. latè, & in impropriâ significatione pro quovis *adjun-*
cto, quod *essentiæ rei superadditur*, sive sit *objectum*, sive *noëma nu-*
dum, sive etiam sit *proprium ejus*, sive *accidens commune*, quod non *af-*
ficit unam speciem, sed & *aliam*, etiam *plures*. Cujus fundamen-
tum significationis apparet undique apud scriptores. Eodem
enim modo dispescuntur affectiones in Ethicis, ab Autoribus
in *essentiales & accidentales*, & hæ dicuntur partim immediati
effectus summi boni, p. *bona concomitantia*, quæ sanè non
nisi per accidens ad S.B. pertinent, & propriè affectionum no-
mine non veniunt & hinc nata est descriptio Affectionum
quam faciunt quidam, affectionem esse omne id, quod est extra
essentiam. Hæc autem significatio non facit ad nostrum in-
stitutum, nobis enim de affectionibus, quæ propriè tales sunt,
objectorum impræsentiarum sermo est, quæ ad disciplinam u-
nam necessariò & genuinè requiruntur, unde nec in pluribus
disciplinis affectiones esse possunt. *Ab his autem & similibus*
latioribus impropriisq; significationibus ubiq; sedulo abstinendum est,
præsertim si nullum fundamentum in re nullamq; cum re convenien-
tiam habeant; atq; omni studio largæ ejusmodi vocabulorum usurpa-
tiones, introductæ, evitandæ, ne dicam propriâ auctoritate aliæ novæ
inducendæ sunt, quoniam iis omnis propria & genuina vocum signifi-
catio tollitur, omnesq; etiam de utilissimis rebus disputationes in ina-
nes litigationes rixasq; abeunt, quid enim à quolibet tandem de-
fendi non poterit atque statui, si hac exceptione pro lubitu ad
omnes etiam insultus uti licebit.

Est & strictior vocis Acceptio, usurpata à Suario, qui suis in
Metaphysicis eas solùm proprietates pro Affectionibus agno-
scit, quæ habent *certas condiciones*, quas postea recensebimus, quæq; so-
lis *scientificis & in rigore sumtis Affectionibus competunt*. Quam et-
iam solam fovent Timplerus in Metaph. & Lippius, quorum
sententias postea pluribus refutabimus.

Nec

Nec hæc igitur, ab his usurpata autoribus, significatio verbi legitima, atque ex ipsius aptitudine desumpta est, quippe qui Affectionis conceptum non in Idæa & abstractivè, sed prout est certi subjecti affectio considerant, adeoq; neque ad institutum nostrum quadrat.

THEOREMA II.

Cujusvis conceptus notetur Etymologia & Synonymia grammatica.

Descendit autem Affectio & denominatur quasi ab officio suo & fine, quia Ens s. subjectum suum extra essentialibus quibusdam qualitatibus afficiat ac depingat. Dicitur autem aliàs *Attributum*; quia subjecto post, ad, seu extra essentiam tribuitur. *Essentiale denominans*; quod omne attributum sive affectio debet suum objectum denominare, licet respectu inferiorum possit esse Synonymum. *Proprium*; quia est ad certam speciem in naturâ determinata, & ex certâ & determinatâ formâ fluit. *Proprietas*; propter rationem eandem. Item *propria passio*; *habitudô rei*; *modus vel ratio conceptibilis extra rem. s. ex parte rei.* &c. qui omnes tetmini ferè eodem modo accipiuntur apud autores; licet non negem, plurimos cognata potius, quàm synonyma affectionis appellandos esse, quia licet affinitate magnâ ei juncti sint, & significatione aliquâ cum eadem conveniant, partim tamen latitudine, partim speciali quadam significatione ab eadem sunt distincti.

THEOREMA III.

Causa constituens Affectionis in Idæa est Abstractio.

1. Quia res in individuis cognosci nequeunt, quum sint infinitæ, requiritur ergo Idea & universalis conceptus, qui præsupponit abstractionem.

2. Universale objectum requirit universales affectiones & proprietates, quia hæ fluunt ex essentiâ subjecti, nec non cum eodem convertuntur; atqui res & conceptus individuificus deducitur in statum universalis, & separatur à specialibus mediante Abstractione. *Malè tamen colligis, Ergo affectio est abstractio for-*

Ratio formaliter, malè inquam, cum de essentia formalis rationis sit, ut rem intimè constituat in suo *esse*, eamque simul ab omnibus aliis rebus distinguat: Atqui abstractio non distinguit objectum ab affectionibus, uti omnium disciplinarum inductione manifestum est: Nam æquè unum verum bonum & reliquæ affectiones Entis in Metaphysicis ac Ens ipsum secundum indifferentiam abstractæ sunt. Et in Physicis omnia similiter à materia signata, ac ipsum corpus naturale abstracta sunt, &c.

THEOREMA IV.

Omni in conceptu considerandum est, quid de formali importat, nec de termino judicandum est, prout in hac vel illa specie reperitur, sed ex eo, quod in modo abstractionis infert.

1. Essentialia enim conceptus latiora sunt distinguenda ab iis, quæ conceptum contrahunt, 2. Latiora cum angustioribus non sunt confundenda, 3. Consideratio atque applicatio termini ex natura & aptitudine ejus facta est sola norma accurati discursus.

THEOREMA V.

*Ratio formalis Affectionis consideranda est in rei veritate
& ex opinione.*

In rei veritate Affectio 1. est attributum rei. Circa quod definitum adhuc sequentes controversiæ decidendæ sunt.

1. *An Affectio sit Ens reale?*

Pro accuratiori hujus Problematis decisione explicanda est vox Entis realis, quæ subjecta materia requirit. Autigitur Ens reale opponitur ficto, Enti rationis seu notioni secundæ, quæ in acceptione ens reale est, quod revera extra mentis cogitationem atque animadvertentiam consistit, & durat. Vel opponitur realitati, quo in sensu & significato res seu ens reale est ipsum Ens & objectum revera existens, realitas autem est certa Entis proprietas, & ratio quædam revera conceptibilis in ipso Ente. Quo pacto Unitas, Veritas, Bonitas realitates Entis Metaphysici

taphysici dicuntur, non quod sint ipsum Ens, sed attributa vera ipsius Entis.

Si igitur de prima significatione Quæstio instituta est, affirmamus Affectiones esse reales, & non entia rationis pure, aut notiones secundas: probamus. 1. Omnis notio secunda est ratio ad mentis nostræ præsentiam conceptibilis, quâ primi rerum conceptus, ut eo facilius cognoscantur, notantur, Atqui Affectio non est talis notio, s. ratio &c. Ergò Affectio non est notio secunda.

Major desumpta est à formali ratione & essentialibus proprietatibus notionum secundarum.

Minor probatur: Nam objectum disciplinæ habet principia & affectiones, quia cognoscitur ex illis, quæ illud vel quoad esse vel quoad cognosci constituunt, & ex his quæ essentialiter, nec non accidentaliter idem sequuntur: Atqui non-Entis nulla potest esse notitia per se, quomodo ergo per non ens cognosceretur objectum?

Sed inquis: ante Philosophorum tamen speculationes nulla fuit mentio & notitia affectionum, Igitur saltem per actum intellectus reflexum introducta & inventa est? R. Distinguendo inter nomen rei, & nominis fundamentum reale. Licet enim ante Aristotelem & reliquos Philosophos ignota fuerit vox affectionis, res tamen sub voce contenta atque fundamentum adeò vocis hujus semper etiam ante Aristotelem fuit. Quemadmodum nec Unitatis, Veritatis, aut Bonitatis ante Aristotelem erat notitia, quis tamen negabit, ante animadversionem & speculationem Philosophi, omne Ens fuisse Verum, Unum, Bonum?

2. Instas: Quicquid non est substantia, neq; accidens, illud non est Ens reale. Atqui Affectio non est substantia neq; accidens: Ergò. R. ad Majorem limitando hoc modo: quicquid non est substantia neque accidens, neq; substantiis & accidentibus commune per abstractionem secundum indifferentiam, illud non est ens reale. Jam probetur Minor. Aliter omninò notiones secundæ non sunt substantiæ, nec accidentiæ, quia ille sunt nudi respectus, quibus intellectus noster circa substantiam & accidens per voluntariam proportionem propter facilitationem affectus est. Posteriori in significatu

B

voca-

vocabuli Entis realis distinguimus inter affectiones, quæ per veram causam & realem de subiecto demonstrantur, & quæ solum modaliter à subiecto differunt, & subiectum per diversas relationes ad intellectum determinant. Illæ, quia realiter sunt à subiecto distinctæ, utique res esse & ipsa entia certum est, quia id realis distinctio requirit. Hæ verò sunt tantum realitates, quæ materialiter ipsum subiectum includunt, nec nisi formali ratione ab eo sunt separatae, quod paulò post probatum dabimus.

II. An Affectio sit Ens prædicamentale?

Cum nota sit & satis probata distinctio inter terminos divinos seu mysticos, transcendentis, & prædicamentales, singulorum etiam manifesta descriptio, pro Negativa statim pugno, & 1. ex natura prædicamentalis ita concludo, *Quicumq; conceptus realis compositionem non importat, ille non est terminus prædicamentalis: Atqui Affectio non est talis conceptus &c. Ergò Affectio non est terminus prædicamentalis.*

Major, ut dixi, est differentia specifica conceptuum prædicamentalis quâ separantur; & opponuntur,

1. Terminis vel conceptibus, depromptis à rebus divinis, inusitatis vel mysticis, quippè in Deum non cadit compositio, nec illa quidem, quæ est ex genere & differentia, vel illa ex esse & essentia, quia est summè simplex & omnis imperfectionis exers, quam infert compositio.

2. Terminis depromptis à rebus transcendentibus, quippè qui formaliter non dicunt compositionem, sed sunt simplicibus & compositis communes, communitate sc. prædicationis & latitudine, nam de Deo & creaturis prædicantur, unde si formaliter inferrent aliquid compositi, etiam Deus ipse esset compositus, quod est absurdum: Minor patet, quia affectionis terminus prædicatur de Misericordia, Justitia, & reliquis attributis essentia divinae, licet analogicè, nec non de uno, vero, bono, & reliquis attributis Entis, & de risibilitate, quantitate, qualitate, &c.

2. Qui-

2. Quicumq; conceptus verus, non equivocus, non est in aliquo predicamento, neq; directè, neq; reductivè, ille non est predicamentalis.

Atqui Affectio terminus verus, & non equivocus, non est in aliquo predicamento neq; directè, neq; reductivè. E.

Major constat, quia conceptus prædicamentales illi sunt, qui determinatæ sunt quidditatis, ac certis & definitis Categoriarum limitibus continentur.

Minor probatur; quia Affectio per omnes res sese diffundit ratione latitudinis suæ, & per omnes Categorias vagatur.

3. Omnis terminus prædicamentalis prædicatur de Transcendente præter naturam.

Atqui Affectio non prædicatur de Transcendentibus præter naturam,

E. Affectio non est terminus prædicamentalis.

Major est Axioma Logicum in sensus incurrens, quia quicquid prædicatur per naturam, latius est, vel æquale ei, de quo prædicatur. At verò prædicamentalis terminus est determinatæ quidditatis. Transcendentalis verò prædicamentali & divino communis est secundum indifferentiam.

Minor certa satis est ex antedictis, nec ulteriori indiget deductione.

Sed objicitur. 1. Affectio non potest prædicari de Deo, 1. quia affectio non est ipsum subjectum, sed aliquid extra subjectum. Atqui Nihil est in Deo quod non sit ipse Deus. 2. quia Deus est Ens singulare, sed affectio universalis requirit subjectum universale?

R. ad primum: Affectio tribuitur Deo non secundum attributionem vulgarem, sed per eminentem omnium perfectionum continentiam in eo repræsentatur, quæ contingit, quando res alicui competere dicitur, non sub propriâ aliquâ & determinatâ formalitate, sed relatione originis, dependentiæ, & excellentiæ. Et sic Metaphysica est in Deo & omnes disciplinæ, sic omnis perfectio humana, e. g. justitia, scientia, &c. sunt in Deo, non quia Deus sit justus aut cognoscat habitualiter, sed eminentissimo modo per ipsammet essentiam: quia quicquid

est perfectionis in creaturis formaliter, illud est in Deo eminenter. *Deinde* affectio quidem formaliter non est ipsum subjectum, sæpè tamen identificatur cum suo subjecto, ita ut quoad rem realiter sit ipsum subjectum, uti patet in affectionibus Entis, unitate, veritate, bonitate. Ad secundum dicimus affectionem non semper postulare universale Metaphysicum propriè sic dictum, sed esse potest in essentia, quæ dicit naturam, sub unitate formali: & non raro affectio est ejus, quod saltem rationem seu genium universalis habet. Ens ut tale, non est universale, cum abstrahat ab universali, & tamen suas habet affectiones, ut notum est.

2. *Objicitur. Terminus transcendens dicit indifferentiam non verò infert imbecillitatem.*

Atqui terminus affectio infert imbecillitatem, non verò dicit indifferentiam. E. Terminus affectio non est terminus transcendens.

Major certa est, quia termini transcendentes, propter indifferentiam ad res creatas & increatas, immunes sunt, ab omni imbecillitate & imperfectione, quam non rarò habent termini prædicamentales adjunctam.

Minor probatur, quia longè excellentiori modo affectionis natura competit scientificis quàm Analogicis affectionibus.

R. Ad Majorem limitando hoc modo;

Terminus transcendens non infert imbecillitatem sed indifferentiam scilicet in se & sua formali ratione: in applicatione verò ad inferiora terminus transcendens fit analogicus: sic Ens tribuitur Deo & creaturis.

3. *Obstat, quod hunc in modum proferri posset argumentum:*

Scientiarum objecta habent affectiones, Atqui scientiarum objecta sunt prædicamentalia.

Ergò Affectio est terminus prædicamentalis.

R. 1. Ad formam in conclusione plus esse quàm in præmissis, hoc infertur solum. Ergo quædam prædicamentalia habent affectiones. Quæ conclusio non est contra nos. Deinde saltem hoc inferri potest: quædam affectio est terminus prædicamentalis.

mentalis, quis hoc negat? longè aliud est, dicere affectionem, esse conceptum prædicamentalem, ac dicere, quandam Aff. esse & c. sanè à particulari ad universale non V.C.

2. Ad materiam Syllogismi, limitando Majorem:

Scientiarum objecta habent affectiones, scilicet non abstractivè sed limitatè, ad certum nimirum objectum restrictas. Nihil hoc derogat nostræ sententiæ, qui non negamus affectiones certo subjecto applicatas esse prædicamentales, cum necessariò affectio, sequatur naturam objecti, & tale sit attributum, qualis est affectio, sed affectionem in Idea vel suo formali inferre compositionem atque ad classem terminorum prædicamentaliùm revocari posse sine applicatione ad certum objectum, hoc est quod pernegamus.

3. *Ad quam disciplinam pertineat affectionum tractatio?*

R. Non duco operæ pretium esse, hoc loco recensere, an sit Metaphysica, an sit intelligentia, quodnam sit singularum objectum, quævè tractatio; sed his omnibus suo loco relictis, cum ex autoribus peti possint, pro intelligentiâ milito, quod nim. genuina sedes affectionum sit in parte speciali intelligentiæ per seqq. rationes.

1. *Quodcumq; sciri potest, de illo certa agere debet disciplina.*

Atqui affectiones formaliter consideratæ, extra applicationem ad certum objectum, sciri possunt.

Ergò de affectionibus formaliter consideratis, extra applicationem ad certum objectum certa debet agere disciplina.

Minor probatur: quia cognitio affectionum formaliter consideratarum intensivè mentem nostram perficit, quando scilicet per eam satisfactum est desiderio mentis, quo scire desideravit formalem rationem affectionum. Probato hoc, quod de affectionibus in Idea consideratis agendum sit in certa disciplina, illa sanè aut erit eadem cum reliquis, vel distincta ab iisdem. Si in eadem cum aliis disciplina agitur de affectionibus

idealiter, fiet hoc vel in activa, vel contemplativa: Non autem in illâ, quia affectionum formalis ratio subtilem indaginem requirit, Practicæ autem disciplinæ saltem sunt de rebus contingentibus, nec ad accuratam vocabulorum ponderationem ad eò sunt adstrictæ.

Ergò in contemplativâ: & quidem vel in scientiâ, vel pneumatice, vel scientiâ, vel intelligentiâ. Non in scientia, quia illa non in formâ & generalem affectionum naturam inquirit, sed definit & assumit affectiones prout objectum demonstrativum requirit. Nec in Pneumatica, quia id confusionem importaret. Nec in primâ Philosophiâ: nam hæc hanc generalem considerationem præsupponit, & versatur circa objectum, quod affectiones minus excellenti modo habet. Licet autem incidenter fiat ibi mentio aut descriptio affectionum in genere, fit tamen hoc, non quasi genuina eo loco sedes sit affectionum, sed ut probeatur atque ostendatur, affectiones Entis verè esse affectiones, licet non adeò excellenti modo de Ente, ac in Physicis, affectiones de corpore naturali demonstrantur ac dicantur, atque ad eò velut principium vel hypothesis ex alia disciplina citatur ea descriptio. Ergo in intelligentiâ: Rectè idq; ex sufficienti enumeratione disciplinarum omnium, quæ particulam sibi quandam affectionum propriè vendicant.

Inquis. Commodior erat ejus rei tractatio in Hexiologiâ quam doctrinam habituum aliàs vocant?

R. Quia ejus disciplinæ adhuc ignoratur genuinum subiectum ignorantur vera principia, veræ affectiones, veri deniq; modi contrahentes, multo minus Aristoteles aliquâ ejus mentionem facit, cujus tamen auctoritatem ut plurimum allegare solent in confirmando numero habituum disciplinarum, nec ab ullo Philosopho hætenus quicquam de eâ in lucem editum est, interea tutius & melius affectionum naturam ad intelligentiam, sub cujus objecto commodè tractari posse videtur, referimus.

2. In qua disciplina consideratur natura Objecti formaliter, genuinè & propriè: in eadem consideratur natura affectionum formaliter, genuinè & propriè.

Atqui

Atqui in habitu primorum principiorum s. Intelligentia consideratur natura Objecti formaliter, genuinè & propriè.

E. In habitu primorum principiorum sive intelligentiâ consideratur natura affectionum, genuinè & propriè.

Majoris connexio probatur, quia ubi eadem valet ratio, ibi idem jus & eadem Methodus est statuenda.

Minor manifesta est ex cap. 5. p. spec. habit. Intellig. M. Gutkii in pr.

3. Quicumq; habitus agit de principiis primis, quatenus ex subtilitate fluunt; id est formaliter, sine regimine & applicationis virtute ad conclusiones aliarum scientiarum, ille etiam de affectionibus eo modo agit.

Atqui Intelligentia agit de principiis primis & c.

E. Intelligentia agit etiam de affectionibus eo modo.

Majorem probo, quia affectiones quoque sunt prima principia hac in consideratione generali, licet in relatione ad certum subjectum sint affectiones ejus. Nam hoc absurdum non est, ut pro diverso considerandi modo una res modò possit esse principium in illa disciplina, & affectio in alia. Exemplo est veritas per repræsentationem, quæ affectionem intelligentiæ constituit, uti probatum est sufficienter à Clariss. Viro M. Gutkio, quatenus scilicet ibi consideratur in actu signato: & tamen eadem veritas per repræsentationem competit omnibus disciplinis in actu exercito, hoc est, omnes disciplinæ utuntur principio ab intelligentia subministrato, (notanter dico principio,) non autem, evolvunt ipsam repræsentationem in Idæa, hoc est, sub universali ratione, ejus definitionem & naturam & exinde fluentia principia. Similis res in objecto & aliis. 2. quia evolvuntur principia prima formaliter in intelligentiâ, sc. ut eorum cognitione intensivè mens nostra perficiatur. Cur non igitur eadem de causa liceat ibidem agere de affectionibus formaliter, sc. ut desiderio mentis satisfiat, quo scire desiderat formalem rationem affectionum, non confusè, sed ordine & distinctè, atq; adeò intellectus noster etiam hac in parte indeterminatus determinetur atque habitualiter perficiatur.

At is-

At inquis: Ergone imperfectionis arguetur disciplina intelligentie à M. Gutkio conscripta. R.

Distinguendo inter nudam perfectionis negationem & privationem s. falsitatem. Sufficit enim carentiam falsitatis in habitu M. Gutkii reperiri, quum illam prima vice præcavere divinum sit, non humani generis. Quid, quod ipse Dn. Gutkiius liberum sæpissimè concedat divinæ veritatis studiosis, terminos secundum aptitudinem eorum ulterius abstrahere atque ad res applicare. Redegit ille in ordinem & artem subtilem hunc, nunquam antea conscriptum habitum, & ostendit, quo loco methodicè de hoc vel illo tradi possit, nobis igitur ipsius vestigiis insistentibus, atq; inventis addentibus jure meritoque ane liceat?

Instas: Affectio constituit membrum disjunctæ affectionis Entis in prima Philosophia, quando à Philosophis dividitur Ens in subjectum & adjunctum, ubi explicatur formalis ratio adjunctorum. Ergo ad illam disciplinam pertinebit affectionum doctrina.

R. Per replicationem: Agitur in Metaphysicis de subjecto seu objecto, agitur de principiis, etsi ita ut explicetur eorum definitio, removeantur variæ significationes. Ergo & illa omnia pertinebunt ad Metaphysicam & p.c. aut nulla erit disciplina intelligentia, aut erit cum prima Philosophia confusa. Quæro enim abs te; ane aliud sit considerare rem formaliter solum & in Ideâ, ex illa consideratione eruere principia prima cognoscendi, & ea subministrare aliis disciplinis; aliud item, formalem rationem rei breviter melioris intellectus gratiâ aliunde repetere, assumere principia illa prima, & applicare actu ad conclusiones, adeoque cum regimine illa possidere? Certè qui negabit hæc distincta officia esse & munera, in diversis disciplinis obeunda, is 1. consiliarium & Regem unum dicet hominem: Consiliarij namque Metaphysicæ habitus est intelligentia, cujus consiliis probatis Metaphysica tanquam regina omnia in universali agnoscit, objecta determinat, tandemq; cæteris disciplinis leges præscribit. 2. constituet regem sine subditis. Intelligentia enim habitus censorius nequit appellari, quia ad regimen

men

men requiritur & prudentia & prudentia cum applicationis virtute: siquidem non statim rex appellatur, qui normam regendi novit, & tamen destituitur subditis, adeoque superiorem recognoscit: præterea regentis virtus debet esse actu diffusa per id quod regi debet. 3. confusionem, quæ mater hæresium est, non evitabit, uti patet ex dictis. E quibus simul evincitur: Intelligentiam esse habitum distinctum à primâ Philosophiâ, & rectè agi in illa de affectionibus in Ideâ.

2. *Objici posset: quia affectio est terminus transcendens, non posse de eâ agi in intelligentiâ, quia ejus subjectum est terminus predicamentalis, uti docet Gutkies in cap. 2. p. gener. ejus habitus, theor. 3. Jam verò adjunctum sequitur naturam sui objecti, nec objectum potest esse inferioris conditionis subjecto?*

R. Cui hoc dubium videtur, qui fieri possit, ut sub termino prædicamentali contineantur transcendentia, quomodo item sub eo summa principia possint erui, is inquiret, qui fiat, ut à re rustica, à re sutoriâ, petantur consilia toti regioni & omnibus ejus membris salutaria: sic unus & unicus homo potest importare, quæ in utilitatem & commodum totius regni ferant.

THEOREMA VI.

Sequitur predicatum, quod loco generis positum est. Notum est enim, in transcendentibus non esse vera genera, nec veras differentias, propter summam latitudinem & abstractionem, quæ rebus omnibus sunt communia. Unde describenda sunt per relationem mentis nostræ ad ipsas res, & assumendum materiale sive essenziale latius, & essenziale æquale seu formale, non quidem in re, sed quoad modum concipiendi nostrum. Tale latius est hoc loco attributum: quippe accipitur usitatè pro omni eo, quod inest subjecto, illudque aliquo modo afficit, sive proximè sive remotè.

Rectè ergo affectio dicitur attributum; affectio enim non est ipsa res, seu ipsum suum objectum, cujus affectio est, quum fieri nequeat, ut subjectum & affectio unum idemque nomen obtineant.

C

obtineant.

obtineant. Subjectum namque est ipsa essentia seu res, ex qua postea affectio tanquam modus & proprietas immediatè fluit. *Non obstat*, quod propria juxta Philosophos à subjectis nequidem ad momentum temporis naturaliter separari possint; Namque exinde non infertur, quod sint unum cum subjecto atque idem, sed manent propria; In subjecto enim inesse dicuntur ea, quæ quamvis subjecti pars non sint, ab illo tamen separari non possunt. Et propter hanc affinitatem, quam cum subjecto habet, dicimus affectionem modum rei seu subjecti attributum, quoniam extra illud commodè nec concipi, nec explicari potest.

THEOREMA VII.

Differentia specifica vel potius essentialis æquale affectionis exprimitur his: *rem aliquam propriè & essentialiter consequens, eamq; denominans, & cum eadem convertibile. Quibus verbis affectionum natura constituitur, & ab objecto, ejus principiis, & modis confrabentibus distinguitur.*

Dicitur 1. *attributum ejusmodi, quod propriè & essentialiter rem consequitur.* Vox *propriè* opponitur hic. 1. *figurato*: non enim per tropum aliquem affectio debet competere, sed genuinè & verè. 2. *attributioni Identicæ*; siquidem quamvis non semper requiratur distinctio realis inter subjectum & affectionem, ad minimum tamen ubique statum & respectum, quendam, formaliter ab essentiâ diversum importare debet, ut quamvis dicat ipsum subjectum materialiter, & includat; aliquem tamen modum & relationem intellectus ei superaddat, quo ab illo distinguatur. Aliàs essent synonyma logica, non subjectum & affectio.

Vox *essentialiter* opponitur. 1. *forinseco & alieno*; Licet enim affectio non ingrediatur ipsam subjecti essentiam, adeoq; est aliquid extra essentiam, non tamen omninò foris assumpta sit, nimisque remotè posita, (aliàs etenim cum quovis adjuncto coincideret,) sed primò & proximè ipsam essentiam consequatur. 2. *essentiali constitutivo*, quod est pars essentialis, seu principium

pium

pium intrinsecum, quo essentialiter & internè res constitui-
tur: quale itidem non est affectio, quæ essentiam constitutam
concomitatur.

2. *Eamq; denominans.* Quod colligitur ex his quæ modo
dicta sunt. Quia enim affectio consequitur essentiam, neque
essentialem objecti definitionem ingreditur, Paronymicè sal-
tem de illo & in concreto prædicari apta nata est.

Hic autem distinguas accuratè inter denominans intrinse-
cum & extrinsecum. Extrinsecum propriè ita dictum nihil di-
cit essentiæ, sed aliquid de essentia, & est essentiæ accidentale
non essentielle. Hoc verò intrinsecum ἀναλόγως dicitur de-
nominans, quia intrinsecè aliquid notat, id est, internam rei
naturam & essentiam. Sic verum est denominans entis analo-
gum, quia nihil superaddit enti, sed illud ipsum intrinsecè de-
nominat.

3. Tandem in definitione dicitur, *cum eodem sc. subjecto con-
vertibile.* Debet enim omnis affectio cum subjecto recipro-
cari. Est autem reciprocatio seu conversio duplex: Una in ra-
tione essentiæ, quæ tantum est inter illa, quæ habent eandem es-
sentiam seu definitionem, adeoque sunt simpliciter eadem. Hoc
modo convertuntur definitio cum suo definito. Altera est in
ratione suppositi, & consistit inter ea, quæ diversum habent con-
ceptum, ut uni possim tribuere aliquid, quod alii tribuendum
non est, ita tamen, ut in quot suppositis reperitur unum, in tot
reperiatur & alterum. vocatur aliàs conversio secundum præ-
dicandi latitudinem, & hac ratione convertuntur affectio &
subjectum e.g. corpus naturale & quantitas. Ens & unum &c.

THEOREMA VIII.

*Descriptionem ita adornatam atq; explicatam his insuper primis
principiis probo:*

I.

Distincta distinctè sunt cognoscenda, apprehendenda, &
applicanda.

E. L.

Distinguendum est inter affectionem & quodlibet ad-
iunctum.

C. 2.

2. In-

2.

Inter abstractivè sumptam affectionem, & concretivè, & ad certam materiam applicatam.

3.

Inter affectionem scientiarum, & affectionem ἀπλως.
Prioris probatio facilis est, quia natura & intellectus abhorreant à confusione, 2. Appetitus humanus confusè sedari nequit sed ordine. 3. Non omnia repræsentantur unâ Ideâ.

Conclusio prima probatur, quia latius distinguendum est à strictiori, amplum ab angusto.

Secunda: quia generalia à specialibus separari debent, non cum his confundi, quod fit per advertentiam latitudinis & communitatis in individuis radicata. Quæ advertentia dicitur evolutio formalitatis, qua quælibet res debitâ sua quidditate menti nostræ repræsentatur, ad intellectum divinum examinatur, & tandem cum aliis confertur.

Tertia: quia impossibile est idem simul esse & cum aliò confusum esse: & formalis ratio rei, prout est ad determinatam disciplinam vel speciem restricta, non potest exhaustire totius termini, quam in se habet, aptitudinem.

II.

Ratione cognitionis humanæ norma sunt res ipsæ, quæ cognoscendæ sunt.

E. Intellectus humanus mensuratur à rebus.

E.

Intellectus humanus in cognoscendo est verus, quatenus habet conformitatem rei cognitæ: quam conformitatem cognoscere, est veritatem possidere. Veritas namq; in cognoscendo consistit in apprehensione intellectus.

THEOREMA IX.

Vidimus descriptionem affectionum, quæ talis, qualis haberi propter summam latitudinem potest, continetq; cōditiones earum generales: Unde nihil video restare quoad generalem earum considerationem, nisi ut notetur: 1. Duplicem esse formalem affectionum rationem: unam subjecti prout res est; alteram subjecti

ut objectum est. Id quod aliquo modo ex præcedentibus colligi potest. Prior est ratio rationis formalis, ad affectionem, ut est res absolutè; altera est ratio rationis formalis ad affectionem in statu affectionis consideratam. 2. *Norma affectionum in disciplinis; quæ sunt principia prima cognoscendi, jubentia nos, ut desiderio intellectus satisficiamus sine omni confusione & errore,* quod obtingit per accuratam advertentiam & considerationem, sub quibusnam formalitatibus hoc ipsum præstare valeamus. Unde sequentia axiomata profluunt.

AXIOMA I.

Axiomata certæ discipline non sunt extendenda secundum extensionem rationis formalis ut res est absolutè, sed secundum extensionem rationis formalis objecti & affectionum, ut objectum & affectiones objecti sunt. Principium luce meridianâ clarissimum, maximum enim absurdum incurreret, qui omne unum, omne verum, adeoque omnia entia ad primam Philosophiam referret formaliter, propterea quia unum, verum, bonum, &c. sunt affectiones primæ Philosophiæ.

II.

Axiomata disciplinarum, ultra objectum & affectiones certæ discipline non sunt extendenda, quia quod de objecto non participat, vel objecti affectionumque causis non est subiectum, id per axiomata ab objecto illo & affectionibus promanantia judicari nequit. Rationis ratio; quia quod normam excedit, illud per normæ partes non mensuratur. Hinc non est committenda μετὰ Φασις, εἰς ἄλλο ἄλλο. Ridiculosa itaque est collectio illa, plus satis refutata à Philosophis: ex nihilo nihil fit.

E. Deus ex præexistente materia condidit mundum.

Axioma enim isthoc Physicum est, fluens ex objecto determinato corpore naturali ejusque affectionibus, quantitate scilicet, quæ de omni corpore tali prædicatur. Jam verò Deus est spiritus & agit *ὑπὲρ φύσιν, ἔνν κῆλ λόγον.* Et ejusdem farinae illa Calvinianorum: Christus non est secundum huma-

C 3

nam

nam naturam omnipræsens, quia habet verum corpus quod semper est in certo loco. Levior namque pluma est hæc ratio, 1. Quia omnipræsencia & humana natura Christi pertinent ad classem terminorum mysticorum; in loco autem esse, est affectio corporis purè naturalis. 2. Distinguendum est inter elevationem & contradictionem.

3.
Imbecillitas imbecilli, indifferentia Transcendentis, eminentia eminentissimo adjudicetur, quia omnia detestantur serio confusionem.

THEOREMA X.

Succedit affectionum varietas: *Affectio juxta Philosophos & divinam veritatem, est vel propriè sic, & in rigore dicta, b. e. scientifica seu positiva, & analogica.* Quarum hæc licet secundariò dicatur affectio, propter primam scilicet & principaliorem; inde tamen non infertur, quod non sit vera sed solum æquivoca affectionis species. Namque Analogia hæc propriè non designat negationem attributionis, h. est, non infert, ut altera species non verè de generali vocis significatione participet, sed eam solum excludit à prioritate & excellentiâ, ut illi competat definitio primariò, huic verò secundariò. *Sic jucunda & utilis amicitia verè de amicitia ejusdè definitione participant, licet honesta primariò & principaliter dicatur amicitia.*

THEOREMA XI.

Affectiones propriè sic dictæ seu scientificæ sunt, in quibus univocè & magis verificatur affectionum definitio, quoniam objectum in esse secundo perficiunt, quasi qualitates, ideoque extra rationem subjecti sui dicuntur. Appellantur *scientificæ*, quia hæ affectiones scientiam parere solent, adeoque in solis iis reperiuntur scientiis, quæ rem per efficientem & proximam causam demonstrant. Item *positivæ*: habent enim quatuor has affectiones, quas recenset Suarez in suis Metaph. 1. *ut sint res aliqua*: hoc est: rationes conceptibiles à parte rei. 2. *ut distinguantur aliquo modo ex natura rei*: hoc est: realiter à suo subje-

subjecto. 3. Adequatè illi convenient, & cum eodem recipiuntur. 4. Subjectum in sua essentiali ratione non includant.

THEOREMA XII.

Melioris igitur demonstrationis & lucis ergò hinc ita colligimus.

I.

Ergò: Affectiones spiritus creati in Pneumatologiâ sunt affectiones & qualitates, quæ propriè & primò ex spirituum essentiali fluunt, realiter ab iisdem distinctæ, quæque per principia & causas proximas de objecto demonstrantur. Reales etiam spirituum affectiones sunt tum *negativæ*: ut: indivisibilitas, immobilitas, illocalitas, immutabilitas & incorruptibilitas, non esse in tempore: tum *positivæ*: ut simplicitas, talis scil. quæ opponitur compositioni Physicæ, ex materia & formâ. 2. duratio stabilis & fixa, 3. perennitas. 4. intellectualitas. 5. Voluntas. 6. arbitrii libertas.

Pneumatologia.

2.

Affectiones Corporis naturalis, sunt affectiones sive accidentia propria corporum naturalium, quæ è principis constitutivis & essentialibus in corpore ita constituto proveniunt, idque primò consequuntur, & omnium corporum speciebus per se, primò & semper, potentialiter scilicet insunt, objectum denominant, & de eodem demonstrantur, ut sunt quantitas, qualitas, motus, tempus, locus.

Physica.

3.

Affectiones Mathematicas sunt proprietates & attributa generalia, quæ ex quantitate secundum rationem à materia abstractâ proximè fluunt, ipsique insunt, & de eadem tanquam objecto per causas primas & proximas reales demonstrantur. Variantque pro diversis, quas hæc quantitas producit, disciplinis, juxta illud, affectio sequitur naturam sui objecti. In disciplinis igitur simplicibus, occupatis in abstractâ consideratione, sunt simplices, naturæ objectorum suorum convenientes: In mixtis verò, quæ prioribus subordinatæ sunt & subalternæ, per quandam ad res in naturâ positas, mixtæ. Vide accuratam singularum

Mathesis:
sub quâ sūt
Astronomia.
Astrologia.
Geometria.
Geographia.
Optica.
Arithmetica.
&c.

gularum delineationem apud Clarissimum Virum Dn. D. Ambrosium Rhodium Praeceptorem nostrum honorandum in Encyclop. Maibe- mat. discipl.

THEOREMA XIII.

Metaphysica.

Affectioes sunt quæ à priorum conditionibus rigorosis aliquo modo deficient, ideoque per analogiam & secundariò affectioes dicuntur, quoniam ad modum priorum passionum concipiuntur & explicantur. *Tales sunt in Metaphysicis, quia illæ proximè in quibusdam ad scientificas quidem accedunt, in reliquis tamen ab iisdem separantur. Conveniunt in his, quod 1. sunt veræ ac reales, quatenus non sunt merè & nudè per intellectum effectæ, sed de formali aliquid dicunt, quod aliquo modo & fundamentaliter est in rebus, Entique potest attribui, licet intellectus noster non animadvertat. Sic Ens est unum, verum, bonum &c. homine non cogitante aut fingente Non verò, quatenus reale accipitur pro eò, quod formaliter vel subsistentiam, vel inhærentiam in alio notat; quia affectioes Entis sunt subsistentibus & inhærentibus communes. 2. quod sunt propriæ & realitates positivæ, quat: proprium opponitur figurato, & positivum denotat similiter id, quod verè in rebus extra mentis operationem existit, non autem quatenus positivum accipitur in ea significatione, quâ certam aliquam in alio inhærentiam denotat & dicit: *Distinguendum igitur putarem inter positivum, & positivam affectioem.**

3. Quòd adæquatè cum Ente currunt, & cum eodem convertuntur: Siquidem immediatè ex Ente resultant, & enunciantur in communi accepta, non quidem per communicationem essentia, sed secūdum prædicandi latitudinem, alias enim multa essent prima cognita, quod absolum. *Separantur ab illis: 1. quòd non realiter à subjecto differunt, sed illud in formali suâ & intrinsecâ ratione includunt, quia ejus naturam & internam constitutionem notant & explicant nisi ut relationem rationis eidem superaddant. Siquidem ipsum Ens in abstractâ & universalissimâ sua ratione habet in se, quicquid est positivè necessa-*

necessa-

necessarium: pro diverso verò statu & relatione rationis hanc aut illam affectionem gignit: ita ut cum relatione mèt. s ad in-divisionem Ens omne sit unum; ad conformitatem omne Ens sit verum; ad perfectionem bonum. 2. N. h. d. posit. vi. Enti superaddunt, nec de eodem demonstrantur, siquidem affectiones hæc Ens solum modificant, & ei sine novâ Entitate superveniunt, nec non in sensu purè & simpliciter affirmativo de eodem dicuntur: deinde Ent, anquam generalissimum objectum, in se non habet supra se latius aut æquale, ideoque affectiones de Ente demonstrandæ sunt rationes conceptibiles, à parte rei attribuentes, solo nostro concipiendi, & intelligendi modo Ente priores vel posteriores, ut Entis natura melius in comparatione & pro diversa habitudine ad aliud cognoscatur, quæ in simplici suo actu propter sui universalitatem & summam simplicitatem, intellectus nostri imbecillitatem, cognosci nequit.

THEOREMA XIV.

Vidimus hætenus affectionum naturam in rei veritate.
Jam ex opinione:

Opinio prima est Timpleri, qui affectiones Metaphysicas verius attributa non autem passiones dicendas esse existimat. Idque propter Deum, in quem non cadunt passiones sive affectiones, sed tantum metaphoricè secundum modum concipiendi nostrum. Responsio est plana. Primò enim eadem manent in attributo Timpleri difficultates. Nam quæro Timplerum, anne Deo propriè competant attributa quæ insint? Parine ratione secundum modum concipiendi nostrum, & sic Metaphoricè ei assignentur attributa; unde liquet, quomodo sibi constet Timplerus, dum id, quod in uno damnat, in altero nescius admittit.

Secunda est Lippii, & aliorum, & quidem plurimorum Metaphysicorum, qui statuunt, affectiones Entis Enti reale quid superaddere.

Lippius ita descripsit: Affectio est natura quædam realis, seu motus quidam positivus Enti superadditus, qui quidem

D

Entis

Entis essentiam non ingreditur, illud tamen afficit & denomi-
nat. *Quæ descriptio probari nequit, ut neg. axioma illius
primum. Omne Ens subjacet affectionibus à se ipso realiter seu ex na-
tura rei diversis: quandoquidem in utroque multis modis ex-
ratur. 1. dicit data descriptio: affectiones has esse reales natu-
ras. At quid natura? naturæ enim vox $\alpha\epsilon\tau\iota\kappa\eta$ est, nam dicitur
ita operis seu operationis alicujus respectu; habet ergò funda-
mentum, quod sanè nihil est aliud, quàm ipsa essentia, idem
namque est essentia & natura, tantùm respectibus & rationi-
bus distinguuntur: Nempè essentia dicitur, ut in se considera-
ta: natura in respectu ad virtutes & operationem. Quicumque
igitur dicit, affectionem Entis esse naturam, is simul affirmat
eam esse essentiam. Essentia itaque illa aut est novi Entis sup-
peradditi essentia, atque tum affectio Entis erit Entis Ens, & p.
c. accidens quod aliàs si autores negare solent: aut est ipsius En-
tis essentia, sive materia, quod libenter concedimus, sed tunc
non erit realiter distincta ab Ente. Nam quæcunque distin-
guuntur realiter, ut res & res distinguuntur. Porro absurdum
implicat superaddita explicatio, sive modus quidam positivus:
Nam sic argumentor:*

Quodcumq; positivum est, illud Ens est:

Affectio Entis est positivum quid.

E. Affectio Entis est Ens.

Majoris probatio certa est. Nam quicquid magis habet the-
sin illud magis ens est, & quicquid magis à thesi recedit, vel pla-
nè thesin non habet, eò magis quoque vergit ad non-Ens: quia
igitur juxta hos autores hic nullus est thesicos defectus, ens esse
necessariò concluditur. E. affectio entis erit ens, & p. c. affe-
ctio sui ipsius, subjectumque & affectio erunt $\acute{\alpha}\omega\lambda\omega\varsigma$ idem.
3. Additur affectionem istam entis essentiam non ingredi. Rur-
sus pessima contradictio, qui enim, quod positivum, quod rea-
le est, non habeat essentiam? & si non careat essentiâ, quomodo
non erit ens? *Confundunt igitur, Lippius & ejus affectæ ens cum af-
fectione, aut nullam planè differentiam inter entis & reliquarum disci-
plinarum affectiones relinquunt.*

Sed in-

*Sed inquis: Longè aliter se explicare in definitione hujus resolutionis autorem, dum ita scribit: cæteras disciplinas affectiones (quas habent) subjectorum suorum pro accidentibus agnoscere; longè aliter Metaphysicam. R. Hæc quidem ita proponuntur, sed αἰτιολογικῶς, nec sine magna absurditate. Quod si enim hæc vera sunt, neque illa definitio, nec axioma constare potest, uti patet. Sed progreditur in sua probatione. Affectiones, inquit, Entis in Metaphysicis non sunt accidentia: quia accidens est Ens, si igitur propriè affectio esset accidens, affectio affectiones haberet. Omne enim Ens, propriè dictum suis affectionibus stipatum est, quo admissio lapsus in infinitum, contingeret. Hæc ille, quæ omnia longè verissima sunt, sed nihil probant: nam demonstratur toto discursu nihil aliud, quàm affectionem non esse ens, quod credimus. Sed aliquid esse reale, & positivū, & simul ens non esse, id negamus, unde simul hos autores se non intelligere vel sibi contradicere, asserimus atque concludimus. Sanè etenim, quicumque dat proprias entis conditiones, illasque affectionibus entis competere affirmat, is ipsum ens dat. Atqui si autores dant proprias entis conditiones &c. uti probatum est: nam reale esse & positivū, intrinsicam entis conditionem & constitutionem dicunt, adeò, ut ubi illæ sint, Ens continuò ponatur, ubi non sint, nec Ens fit. Plura possent proferri, si operæ pretium esset, & veritas non esset obvia. Concludimus ergò: *Affectiones entis, ut illud est considerationis Metaphysicæ: non esse distinctas ab ente realiter, neque secundum rationem ratiocinantem.* Si enim secundo modo, tum non essent notiones primæ sed secundæ, uti sunt Logicæ, Rhetoricæ, Grammaticæ, vel essent ὄντα ficta atque adeo in re omninò nihil. Utrūque est absurdum. Si primo modo, tum non essent affectiones, sed ὄντα, ut demonstratum est.*


COROLLARIA.

1. Quæ habentur in scientiis propriè dictis & principaliter, ea sunt tribuenda Metaphysicæ per analogiam.
2. Res potest esse una & affectio multiplex. *Piccol. gr. 8. Phil. Mor. c. 39. p. m. 705.*
3. Analogia non tollit veritatem.
4. Tales sunt affectiones, quales ab objectis suis permittuntur.
5. Subjectum nobilius arguit nobiliorem affectionem.
6. Affectio naturâ posterior est suo subjecto.

SOLI DEO GLORIA.



B III



28